



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 11. De Anti-Luthero Clichtovei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

propter Christi Domini mortem. XXI. Sæcul. XVI.
 De invocatione Sanctorum. XXII. De A.C. 1543.
 usu & cultu S. Imaginum. XXIII. De
 libertate hominis circa bonum & malum.
 XXIV. De Præceptis & Consiliis Evan-
 gelicis. XXV. De fide unacum bonis
 operibus ad consequendam salutem ne-
 cessariis. Porro hic Auctor, dum de
 libero arbitrio agit, affirmsat, quod ho-
 mini auxilium divinum, quo adjutus bo-
 num operari potest, nunquam desit, aut
 saltem aliquam gratiam habeat, per
 quam hoc auxilium a Deo petere valet.
 Insuper tradit, quod prædestinatio & re-
 probatio negativa neutiquam ab huma-
 nis actionibus, sed mere a voluntate di-
 vina dependeat.

§. XI.

De Anti-Luthero Clichtovei.

Opuscolum illud, cui titulus: *Anti-Lu-*
therus, in tres partes dividitur, qua-
 rum prima prætensam Lutheri libera-
 tem Christianam atque Evangelicam
 confutat: altera vero Missæ Sacrificium,
 quod idem Hæresiarcha abolere niteba-
 tur, propugnat, ac sententiam impu-
 gnat, vi cuius Lutherus omnes Christia-
 nos esse Sacerdotes tradebat. Tertia
 demum Vota monastica defendit. Ce-
 terum in prima parte illi sententiæ suf-
 fragari videtur, quæ S. Dionysium li-

bro-

Sæcul. XVI. brorum, qui ipsi adscribuntur, Aucto-
A.C. 1543. rem, ac totius Franciæ, nec non Par-
 siensium Apostolum fuisse tenet, hæc ta-
 men opinio haud amplius Criticis pro-
 batur. Postea in eodem libro Clichto-
 veus demonstrat, quod Concilia gene-
 ralia nec falli, nec fallere possint, eorum-
 que Decretis sub poena æternæ damna-
 tionis standum sit: In secunda autem
 parte diversos Hierarchiæ Ecclesiasticae
 gradus explicat, nec non privatarum, ut
 vocant, Missarum usum, ac Missæ
 Sacrificium propugnat, cunctisque, quæ
 Lutherus objicit, respondet. Differit
 quoque ibidem de Communione non ni-
 si a jejunis recipienda, nec non de Con-
 secrationis verbis, quæ tacita voce esse
 pronuntianda tradit: Præterea ibi lo-
 quitur de horis Canonicis, Purgatorio,
 orationibus pro defunctis, ac denique de
 Universitatum utilitate. Tandem in ter-
 tia parte Votorum & vitæ monasticæ
 sanctitatem vindicat, atque data occasio-
 ne multos Lutheri errores refellit.

§. XII.

*De ejusdem libro, cui titulus: Pro-
 pugnaculum Ecclesiæ contra
 Lutheri Sectatores.*

*I*dem Scriptor in suo libro, quem inscri-
 psit: *Propugnaculum Ecclesiæ contra
 Lu-*